



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Elesbaan Confessor. 27. Octobr.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

3. Cave, concessis gratis aut acquisitis virtutibus extollaris. Virtute caret, qui de virtute gloriatur. Nam humilitas fundamentum est virtutum omnium. Imitare demum viros sanctiores, non laudis desiderio, sed officii causa. Nosce te ipsum, nosce vilitatem, nosce malitiam, nosce peccata tua, & haud dubie humilis eris. *Tota humilitas est ut cognoscas te.* Aug.

S. ELESBAAN Confessor.

27. Octobr.

Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia.

Paul. ad Eph. cap. 4.

Non erubescant Reges in Regem Elesbaanum intueri, & ex ejus vultu, Æthiopicis licet, mores tamen suos componere. Bellum illigrave erat cum Rege altero Dunaano Iudæicæ superstitioni addicto. Causæ & Deo fidens purpuram quidem pugnaturus exiit, ceterum ingentes animos induit, quos majores etiam Anachoretas nescio quis illi fecit, cum, ut sibi DD. Martyrum præsidia (optimas utique auxiliares copias) accerteret, persuasit. His fretus cum in aciem descendisset, etsi initio laborare hæc videretur, pugnâ tamen ad extre-

munis

mum vicit, auspiciatissimo D. Gabrielis no-
 mine velut militari tesserâ tertium in aëre
 conclamato. Adhæc Superi Dunaanum ho-
 stem ita delusere, ut veluti fascinatus catenâ
 aureâ & se & amicos illigatos, quos quidem
 Victoriæ hic sacrificaturus eodem ferro om-
 nes immolavit. Sed nunc triumphum specta
 Lector. Hunc ecce, triumphali coronâ Hie-
 rosolymam missâ, Elesbaanus saccum non
 togam palmarum indutus, & solus obscurâ
 nocte in montem proximum ducit; casam nō
 Capitolium subit; vota victor vovet nunquā
 inde egrediendi; jamq; triumphales epulas
 pan nudo herbis ac fontanâ continuat, nulli
 hominum visus, uni sibi & Superis notus. Ni-
 hil hæc ad meos triumphos, ait Romulus. Sed
 sic triumphanti Cælum applausit. *Ex Metaphr.*

M E D I T A T I O.

De Ira.

1. **Q**uod stomachum, id tibi risum movere debe-
 ret. Irasceris verbulo, leviori jacturâ, vanâ
 honoris imagine; an hæc sunt tanti, ut animus tuus
 de sua sede moveatur? si te ipsum videres iratum, nun-
 quam certè committeres, ut insani, ebrii, energume-
 ni, & ferocioris bestię speciem indueres.

2. Duplex est ira, altera instar fulguris statim extin-
 guitur; altera verò, tanquam ignis supposito cinere,

T

diutius

diutius manet; prima quidem venia dignior est; si enim iracundia sit aliquod stultitiae genus, ea certe tolerabilior est, quae brevior. Ast, quae fovetur, & perseverat in corde, sapius degenerat in capitale odium. Quanta, quanta sit illata tibi injuria, sane nunquam debes obscurum odium fovere in fratrem. *Attende Christum propter te pependit in ligno, & nondum est vindicatus, & tu vis vindicari?* Aug.

3. Ut nunquam iram turberis, praevide occasiones irascendi, & appositis considerationibus para animum tuum, ut primos nascentis irae igniculos protinus comprimat. An poenas a te repetit Deus, quoties eum offendis? an extingues injuriam accensam iram? Memineris demum omnium potius quam patientiae jacturam faciendam esse. *Totum licet saeculum pereat, dum patientiam lucrifaciam.* Tert.

SS. SIMON & JUDAS A post

28. Octobr.

Quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Christus Ioan. cap. 15.

Vbi primum debellandum sibi orbem Apostoli sumpserunt, aliis aliò moventibus, Simon in Aegyptum, Judas verò Thadæus frater Simonis in Mesopotamiam expeditionem adornavit. Subactis iis provinciis